Hoc verò cum non plus deroget demonſtrationibus ſolidisſimis, quam cuivis argumento probabili quod ne tali quidem nomine dignum eſt, ſi ex præmisſis particularibus concluſionem deducat; quid Methodo, qua conſcribenda erat Scientia, adimere posſit? Ut ergò certitudo Phyſica Mathematicæ ſi non æquiparari, conferri tamen evidentius posſit; conſcripſi hoc compendium phyſicum, Methodo ea quam Euclides & alii accuratiores obſervarunt in Mathematicis: Imò qua ipſe his ipſis in locis ut collatio docebit plerunq; uſus eſt Ariſtoteles. ea ſpe fore ut nebulæ multorum, quæ hactenus fuerint incerta, evaneſcant in animis eorũ, qui ſine præjudicio rationis libræ noſtras haſce lucubratiunculas commiſerint.